

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*Level One Medieval Latin Examination*

**11 April 2023**

.....  
Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for three hours. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.  
.....

**1. Saint Moling persuades a fox to return a stolen book.**

Alio tempore vulpis librum abstulit fratribus, et abscondit foris in vna de speluncis suis, uolens illum postea ocios commedere. Et reuertens ad monasterium inuentus est rapiens et commedens fauum mellis. Tunc fratres apprehendentes eum, duxerunt ad sanctum Molyng, accusabantque eum de libro. Iussitque sanctus senior fratribus ut dimitterent illum liberum. Cumque esset absolutus, ait ei sanctus: 'O dolose et callide, uade, et affer citius librum integrum ad me.' Ad hanc uocem vulpis foras egressus, de suo specu siccum librum et integrum uelocius retulit, et posuit coram sancto pontifice. Et postea iacuit super terram coram viro Dei, quasi petens indulgenciam. Inquit ei sanctus: 'Surge, miser, nichil timens; set ne vnquam vltra librum moueas.' Tunc vulpis gaudens surrexit, et mirabiliter mandata sancti compleuit; non solum enim postea libros non tetigit, set si quis pro ludo librum ei monstraret, in fugam ibat ab eo.

## **2. During the flight into Egypt, the infant Jesus causes a lofty palm-tree to bend down.**

Factum est autem die tertia profectionis suae ambulantibus eis ut beata Maria nimio calore solis fatigaretur in eremo, et videns arborem palmae dixit ad Ioseph 'Quiescam paululum sub umbra arboris huius.' Ioseph itaque festinans duxit eam ad palmam. Cumque resedisset ibi beata Maria, respiciens ad comam palmae vidi eam plenam pomis, et dixit ad Ioseph 'Desidero ut fieri posset ut ex istis fructibus huius palmae perciperem.' Et ait ad eam Ioseph 'Miror hoc te dicere, cum videas quantae sit altitudinis palma ista, et quod tu de palmae fructibus cogitas edere. Ego magis de aquae penuria cogito, quae nobis iam defecit in utribus, et non habemus unde nos refocillare valeamus.' Tunc infantulus Iesus laeto vultu in sinu matris suae residens ait ad palmam 'Flecte, arbor, ramos tuos, et de fructu tuo refice matrem meam.' Et confestim ad hanc vocem inclinavit palma cacumen suum usque ad plantas beatae Mariae, et collegerunt ex ea fructus quibus omnes refecti sunt.

## **3. On the passion of the Lord**

1.

In passione Domini,  
qua datur salus homini  
sit nostrum refrigerium  
et cordis desiderium.

2.

Portemus in memoria  
et poenas et opprobria  
Christi, coronam spineam,  
crucem, claves, et lanceam,

3.

Et plagas sacratissimas,  
omni laude dignissimas,  
acetum, fel, arundinem,  
mortis amaritudinem.

4.

Haec omnia nos satient  
et dulciter inebrient;  
nos repleant virtutibus  
et gloriose fructibus.

5.

Te crucifixum colimus  
et toto corde poscimus  
ut nos sanctorum coetibus  
coniungas in caelestibus.

6.

Laus honor Christo vendito  
et sine causa prodito,  
passo mortem pro populo  
in aspero patibulo.

#### **4. Charlemagne is chastised by a bishop for neglecting to eat the buttery rind of a cheese.**

In eadem quoque profectione inopinato venit ad quendam episcopum. Cumque ipso die carnes quadrupedum aut volatilium comedere noluisset, quia VI esset feria, pontifex ille iuxta facultatem loci ipsius, cum repente pisces invenire nequisset, optimum illi caseum et ex pinguedine canum iussit apponi. Moderatissimus autem Karolus ubique et in omnibus institutus, verecundię praesulis parcens nihil aliud requisivit, sed assumpto cultello, abhominabili ut sibi videbatur erugine projecta, albore casei vescebatur. Episcopus autem, qui more famulorum propter astabat, propius accedens dixit: 'Cur ita facis, domine imperator? Nam quod proicis, illud optimum est.' Tunc ille, qui fallere nesciret et a nullo se falli posse putasset, iuxta suadelam episcopi eruginis illius partem in os proiecit et sensim masticans in modum butyri degluttivit; et episcopi consilium probans dixit: 'Verum, bone hospes, dixisti.' Addiditque: 'Omnibus annis duas carradas talibus caseis plenas ad Aquasgrani mihi dirigere ne praetermittas.'

*carrada, -ae:* a wagon.